

te Cardinale quodam, quid lachrymaretur? respondit, propterea se flere, quod pro illo beneficio DEI, quo non talis bestia, sed homo conditus esset, nullas unquam Deo gratias egisset. Ecce, inquit Cardinalis, idio: & isti, & agrestes homines præripiunt nobis regnum DEI.

**OBS. 2.** *Prosequuntur me.*] Notanda est anxietas diuinæ bonitatis, in summo benefaciendi studio, quod scilicet non expectat donec rogetur, sed vitro fugientes etiam, sua bonitate persequitur. Ea scilicet vis est diuini erga suos amoris, & summa propensio. Quid enim aliud infinita illa bonitas ageret impensius, quam hoc ipsum quod est? Quid ignis aliud perpetuo, citius, exactius, & propensius ageret, quam ut calefaciat, proque nativo suo ingenio vicina quæque incendat? Adeo scilicet ad benefaciendum promptus est Deus, ut & in malis benefaciat, & bestis, &c.

*Omnibus diebus vite mee.*] Notanda est hæc constantia diuinæ bonitatis. Aliud vsuuenit inter mortales, qui quem hodie amant, cras odio persequuntur, non minus ad lædendum quam an ea ad iuuantum parati, etiam si nulla ratione odium moueris, nesciasque mutati animi aliquam causam. Ea scilicet est mortalium inconstantia in benefaciendo, secus verò in odiendo.

**OBS. 3.** Quoniam sumus filij DEI, iubemurque à CHRISTO ingenium Patris nostri cœlestis imitari: sumendum est ex hoc loco exemplum, quomodo & nos talem bonitatem erga proximos ostendamus non vulgarem, more eorum qui non sunt filij DEI, sed iustam ac plenam, quæ vitro non rogantibus benefaciat, nedum orantibus, quæ persequatur etiam eos qui ope nostra indigent, idque constanter in finem vsque.

*Et sedebam in domo Domini in longitudinem dierum.*] *Domus Dei* bifariam accipitur: aut pro populo DEI, Ebr. 3. aut pro templo DEI. *Domus*, inquit, mea domus orationis vocabitur. Tamen si enim non habitet Deus in templis manufactis, Esa. vlt. tamen voluit eam domum, in qua placuit populam suam ad nominis sui gloriam celebrandam conuenire, hoc nomine insigniri, ut eò maiore erga illam reuerentia teneretur: & licet crassius, tamen aliquousque ad pietatem institueretur. Ideo eum locum sancti Patres magna religione coluerunt: ut videre est in isto Davide Psal. 5. 26. 27. 42. 84. 122. & in Daniele, & tempore Christi in Symeone & Anna. Quod autem David hoc animo fuerit erga templum & domum DEI, satis videre est Psal. 27.

**OBS. 5.** Videmus ergo hoc loco, quo animo nos Christiani debeamus esse erga conuentus Ecclesiasticos, cum & nobis præsentia diuinæ facta sit promissio, Matth. 18. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi in medio eorum sum.

Discantque hæc illi potissimum, quibus præ alijs, ut isti Davidi, contigit, diuina bonitate frui, siue in corporalibus, siue in spiritualibus. Cur David optat in domo DEI sedere in longitudinem dierum? Quia scilicet cupiebat accepta diuinitus beneficia animo grato expendere, Deoque vicissim laudes decantare.

## PSALMVS XXIV.

## PSALMVS DAVIDIS.

## ARGVMENTVM HVIVS PSALMI.

**D**ignitatem populi Dei, templi Dei, montis Dei Zion, commendat & extollit Propheta per comparisonem totius reliquæ terræ. Deinde canit, qui verè digni sint habitatione montis huius Dei: gloriaturque in adificatione domus Dei, in habitationeque diuini numinis. Videtur autem argumentum istud desumptum ex historia apparentis angeli, locumque, ara seruenda monstrantis: quæ legitur 1. Paral. 21.

- LECTIO.** *Parauit eam.*] Ebr. כִּבְּוֹתָ. Hier. Stabiluit illum. Sic & Iustin. & Pag. & Felix Camp. Distinxit eam.  
*Et quis stabit.*] Ebr. מִי יִשְׁתָּבֵן. Græc. & vulg. Lat. τίς στήσεται; Quis stabit? Sic & Hier. & Pag. Camp. Cui permanere contingeret? Iust. n. verò vertit: Et quis surget? Felix quoque: Et quis exurget?  
*In loco sanctitatis eius.*] Ebr. בְּמִקְדָּשׁוֹ קֹדֶשׁ. Græc. & vulg. Lat. Hier. & Iustin. vertunt, In loco sancto eius. Felix & Pag. In loco sanctitatis eius. Tigurina: In loco sanctuarij eius.  
*Qui non leuauit.*] Ebr. לֹא גִשָּׁא. Græc. & vulg. Lat. Qui non accepit. Sic & Felix & Pag. Iustin. Qui non iurauit temere in animam suam. Chald. Et mundus voluntate. Hier. Qui non exaltauit frustra animam suam. Camp. sic: Qui non iurauit sine causa per animam meam, inquit Dominus.  
*In dolo.*] Græc. & vulg. Lat. & Arabs addunt, Proximo suo: quod in Ebræo non extat.  
*Et iustitiam.*] Ebr. צְדָקָה. Græc. & vulg. Lat. Et misericordiam. Sic & Arabs.  
*Faciem tuam.*] Ebr. פָּנֶיךָ. Græc. & vulg. Lat. Faciem Dei. Sic & Arabs.  
*Attollite portæ capia vestra.*] Græc. & vulgata Latina. Attollite portas principes vestras. Reliqui legunt, Porta.  
*Dominus exercituum.*] Ebr. יְהוָה צְבָאוֹת. Vulgata Latina: Dominus virtutum. Sic & Felix. Reliqui vertunt, Exercituum.

**VERS. I.** **D**omini est terra, & plenitudo eius, Orbis, & qui habitant in illo.  
 2. Quoniam ipse super aquas fundauit eam, & super flumina parauit eam.

**EXPLANATIO.** Magnus est animus Prophetæ erga domum & montem DEI: id quod in multis Psalmis, & hoc ipso satis liquidè apparet. Ut itaque eam dignationem DEI commendat, qua dignatus est certo quodam loco, inter populam suam sedem figere, utpote tum Hierosolymis, utitur colatione